# PARODIAM HORATIANAM

AD EPOD. II. BEATUS ILLE, &c:

VOTIS SECUNDIS

# DÜSTERWALD PRÆTORIANIS

DIE 27. JAN. BIDUO POST FESTUM

S. APOST. PAULI

A. R. S. M. DCC. XXXIX.

FELICITER CELEBRATIS,

PRISTINI AFFECTUS

AC

SINCERITATIS MEMOR,

PANNONIOS INTER CYATHOS ET

BELLARIA,

*INTERPOSUIT*

I. Z. P. Q.

abler

*THORUNII*

*Impressit Joh. Nicolai NOB. SENAT. & GYMN.*

*Typographus.*

*BEatus ille, qui procul jugalibus*
*Traducit ævum vinculis!*
*Ex aſſe liber, neminique obnoxius,*
*Deo ſibique pervacat.*
*Non ambit ille per pretium per & preces*
*Uxorculam non ſtemmata*
*Prætendit, aut conficta patrimonia,*
*Vultusque majorum crepat.*
*Non anxius Qvirites ille convocat,*
*Vel magna prenſat nomina,*
*Velint adeſſe nuptiis opiparis,*
*Atque eſſe dapsiles ſimul.*
*Quanto tumultu lauta perſtrepit domus:*
*Lances aves Getulicæ,*
*Carnaria, perna, dama, perdices premunt:*
*Magnæque conſurgunt ſtrues*
*Cupediarum, conditæ arcis in modum:*
*Pannonia dulce Maſſicum*
*Fundit, refundit, tota guttura proluit:*
*Aſt India promit ſaccarum:*
*Piſces ſapidos miniſtrat alma Viſtula,*
*Sed Brohna ſalmones parat:*
*Dapibus remotis læta buccina ac fides*
*Reſonant, pedesque pruriunt*
*Choreas minantes: ſaltitant viragines,*
*Iuvenesque comti tripudiant.*
*Quid tum? perit ſi funditus ſubſtantia,*
*Cenſumque debita aggravant.*
*Majora ſuperſunt: ſocrus imperioſior*
*Aures ſubinde vellicat,*
*Legesque dictat: Byſſinas veſtes para,*
*Gangeticasque gemmulas:*
*Sint Gallicana reticula, ſit purpura,*
*Sit torques aureus meæ*
*Natæ, pyropis articuli reſplendeant:*
*Generis memento & ſeculi.*

*Morbosa conjunx lacrymas addit suas,*
*Carumquoties caput dolet,*
*Uterumque sentit turgidum. morosior*
*Hoc tempore est uxorcula,*
*Planeque Iuno. Fac rubicunda prodeat*
*Soboles, repente hæc ejulat,*
*Pellitque somnum. variolis corpusculum*
*Maculatur atque pingitur.*
*Vermes molesti dentibus lactentia*
*Rodunt fodiuntque viscera.*
*Curre ad Galenum, pharmacisque mensulam*
*Stipa, ut nepoti parvulo*
*Cum sanitate vita, si diis placet,*
*Risusque conscius redeat.*
*Quid si maritæ fila rumpat Atropos?*
*Tum tota concidit domus,*
*Mens tota labat, ædiumque vastitas*
*Cladem minatur undique.*
*Nil obserata te juvare vascula,*
*Nil lumina Argi quiverint.*
*Mitte atriensem, exhauriet granaria:*
*Mitte ad macella Phyllida,*
*Iurabit, Edepol sumen & minutalia*
*Constant mihi tot nummulis:*
*Scombros, Cyprinos, & scaros attingere*
*Piscator obscenus vetat:*
*Sin derogas fidem, here, solus adi forum,*
*Liceare vel teruncio.*
*Perferre talia, quæso, quis potest pati,*
*Ni caudicem plane induat?*
*Veneris joci valete cum columbulis,*
*Nihil mihi commercii est*
*Cum nocte suavi, quæ diem insuavem ferat.*
*Ero beatus, undique*
*Si nil fatiget, nil animum remordeat,*
*Somnumque pellat palpebris.*

*Sic*

*Sic nuper altà voce Misoparthenus*
*Clamabat, infestus satis*
*Tædis honestis.* CONSULARIS *hunc tamen*
SPONSUS *graviter redarguit:*
*Sis pace nostra ter beatus, ac tibi*
*Cœlebs moriare perpetim.*
*Lita vacunæ, nil age, quo temet probes*
*Vixisse patriæ utilem.*
*Mens alia nobis, atque alia est necessitas.*
*Onusta curis Curia*
*Mentem fatigat, corporisque deterit*
*Vires subinde langvidas.*
*Iucunda præmia sed molestiæ dabit*
*Utriusque fortunæ comes.*
*Hæc fida penatum custos, in partem juvans*
*Domum, maritum, & liberos,*
*Deterget atque emolliet quod asperum est,*
*Ut frons redeat serenior.*
*Blanda hæc marito verba cum basiis feret,*
*Et anxium solabitur.*
*Si fata faveant, surculus ab radicibus*
*Propullulabit masculus,*
*Nomenque patris ac famam, hoc superi date,*
*Ad usque mittet posteros.*
*Res magna, vitam posse liberis dare,*
*Per quos liceat reviviscere.*
*Faxitis eia, implete vota* CONSULIS
*Vestra, superi, faventia:*
*Ut consenescat conjuge cum juvencula,*
*Nihilque turbet gaudia.*

MEISNERIANA GLORIA ILLUSTRET DOMUM,
NOVISQUE CRESCAT AUCTIBUS
PER LÆTA GERMINA, PLURIMAS PROPAGINES
MAGNIS DATURA PARENTIBUS.
*Hæc apprecatus jam mihi pergo vivere:*
STAT IN PROPINQUO ÆTERNITAS.